

voluntas non est boni, quia velle facere aliquid, quando non debet fieri, non est velle bonum. » Sed illud volitum est objectum; ergo si non est bonum quando voluntas vult illud tempore quo non debet, talis ergo circumstantia quando, quæ est circumstantia temporis destruit bonitatem voliti, quia facit quod voluntas sit non boni; ergo destruit bonitatem moralem objecti. Circumstantia ergo mala sufficiens est destruere objectum bonum, seu bonitatem objecti; ergo non remanet actus ex objecto bonus, et ex circumstantia malus, quia pugnat malitia circumstantiæ cum bonitate objecti, seu destruit illam. Nec D. Thomas solum dicit quod talis actus non est bonus, sed dicit quod ex parte voliti velle bonum quando non debet, non est velle bonum; ergo ipsum volitum, seu objectum est quod manet non bonum, et non solum actus manet malus. Circumstantia ergo mala quæ est quando non debet, destruit objectum, seu volitum bonum.

XIII. Denique D. Thomas in eadem quæstione XIX, art. VI dicit: « Quod actus prout in genere moris impossibile est quod sit bonus, et malus malitia morali, si tamen sit unus unitate naturæ et non unitate moris, potest esse bonus et malus. » Sed actus tam ex parte objecti, quam ex parte finis, et circumstantiæ est actus prout in genere moris, quia moralitas ex utroque principio sumitur, scilicet ex objecto et circumstantiis, ergo impossibile est quod ex objecto sit bonus, et ex circumstantia malus, si prout in genere moris non potest esse bonus et malus. Et loquitur ibi D. Thomas de actu morali exteriori: ergo ejus doctrina fortius currit in actu morali interiori, qui magis intrinsece moralitatem habet, quam actus exterior.

XIV. Et fundamentum hujus de-

sumitur ex hoc quod quando malus finis vel circumstantia adjungitur objecto bono, talis circumstantia et finis conjungitur objecto, et afficit illud, quia ista duo finis et objectum, seu circumstantiæ appetuntur cum aliqua subordinatione, et quatenus unum afficitur ab alio, et fundatur in illo, eo quod circumstantiæ appetuntur ut accidentia annexa ipsi objecto, quia accidentia ejus sunt, et sic nunquam seorsum ab objecto appetuntur, sed ut aliquid illius, sicut accidentia sunt aliquid substantiæ, eique inhærent, et quando objectum appetitur ex malo fine, utique appetitur ut subordinatum illi, et causatum ab illo, quia finis cujus est, finis autem semper habet influentiam in id quod subordinatur illi, et ex motivo ejus appetitur, sed objectum quantumvis in se sit bonum, si tamen induit motivum malum ex fine, et influentiam, atque subordinationem ad finem pravum, itemque connexionem cum malis accidentibus, seu circumstantiis, quarum redditur subjectum, et a quibus denominatur, hoc ipso redditur malum, et destruitur ejus bonitas objectiva; ergo non manet simul bonum et malum. Consequentia patet, quia si unum destruit aliud non possunt simul manere. Minor vero probatur, quia licet objectum secundum se, et abstrahens a tali fine, et circumstantiis non sit malum, tamen ut fundans mala accidentia, et subordinatum malo fini non potest esse bonum, neque conformari rationi, si quidem ratio non solum dictat, quod circumstantiæ malæ non fiant, sed etiam quod non subordinetur illis, aut fini pravo aliquid bonum.

XV. Et ratio est, quia bonum fieri ex motivo malo non est bonum, nec conforme rationi, et bonum fieri male non est bonum, est enim præbere materiam ipsi malo; et sic eleemo-

syna ut facta ex vana gloria jam non est eleemosyna formaliter, sed ex materia in qua exercetur vana gloria titulo eleemosynæ, licet habeat effectum eleemosynæ, quantum ad sublevationem necessitatis. Sed quando aliquod bonum fit ex malo fine fit ex malo motivo, quia finis dat motivum faciendi, et quando fit ex mala circumstantia illud bonum non fit bene, sed male; ergo fit contra rationem; ergo jam illud bonum sic vestitum non fit conformiter ad rationem, sed contra illam, quia malum ex quocumque defectu. Unde recte dixit Ambrosius epistola LXXXIV ad Demetriadem: « Inflatio et ambitio, et priorum bonorum superba defensio possunt destruere eleemosynas, possunt evacuare martyria, si et magnas opes amore quis humanæ laudis effundat, et sæva supplicia non ea fortitudine, quam Deus tribuit, sed ea quam de se præsumpsit, excipiat. » Si destruitur eleemosyna: ergo non manet bonitas ejus. Quare jam illud bonum vestitum fine, aut circumstantia mala, bonum non manet, sed præbens materiam mali, et hoc nunquam est bonum, sed destruitur in genere morali, quia non manet regulatum, neque subjectum regulis moris, si solum manet ut præbens materiam malitiæ; sic enim est conducens ad malum, sicut eleemosyna hic et nunc fit ut conducens ad vanam gloriam. Quod autem accipitur ut conducens ad malum, non jam sub regulis rationis fit, neque ut bonum, sed ut pertinet ad malum, et extra regulam boni.

XVI. Dices: Fit ut bonum ex omni parte, et sic licet trahatur ad finem, et motivum malum, vel ad circumstantiam malam, tamen in se adhuc retinet aliquam considerationem, et partialitatem bonam, et sic est minus bonum, aliquid tamen boni habet. Sed contra, quia ut sit

partialiter, et inadæquate bonum, debet derivari, et subordinari regulæ bonæ, et excludere a se saltem partialiter malum, et dictamen malum, sed illud parziale bonum, et inadæquatam subicitur dictamini malo; ergo non manet bonum. Antecedens probatur, quia illa eleemosyna, vel jejunium ob vanam gloriam accipitur ut conducens hic et nunc ad illum finem pravum, sed illa conducentia non derivatur nisi a pravo dictamine; ergo etiam partialiter, et materialiter sumptum illud bonum derivatur, et regulatur per dictamen defectuosum; ergo excludit etiam partialiter regulas rationis, ita quod actu non regulent illud bonum eleemosynæ, sed solum est in potentia capax ut reguletur, si malo fini non deserviat: quod non est in odio Dei, et aliis similibus, quæ nec capacitatem habent ut bene regulentur, et alicui bono fini subjiciantur.

XVII. Et hinc sumitur conformatio et ratio a priori, simulque explicatur differentia inter artificialia, et moralia ex hac parte, quod in moralibus homo ita operatur quod omnia, quæ in actu inveniuntur subordinantur uni fini quantumcumque partialiter, et inadæquate considerentur, eo quod moralia sumuntur per ordinem ad finem in quantum aliquis movet seipsum, et operatur modo humano, et voluntario, et similiter bonitas moralis ex integritate, et concursu omnium requisitorum resultat, non ante datur. Unde cum non possit operari ex duobus finibus non subalternatim positus, nec possit integritas resultare si aliquid deficit, relinquatur quod quando agit ex aliquo fine, illi subordinari debeant omnia, quæ in tali actu continentur: et quando iste finis est malus in se, aut aliqua prava circumstantia afficitur, ita quod ex illa malus reddatur, omnia

quæ in actu sunt accipiuntur ut deservientia tali fini, et sic non possunt regula rationis ordinari, quia contra regulam rationis est, ut aliquid faciat, aut velit voluntas, ut deserviens, aut conducens malo fini, et similiter non resultat integritas, quæ sola est bonitas moralis. Unde id quod alias esset bonum, fit non bonum per hoc quod malo fini deserviat. Similiter si finis sit bonus, sed materia, aut circumstantia ei deserviens sit mala, finis ille in munere, et officio finis redditur malus, quia finis non solum est illa entitas ad quam ordinantur media, sed etiam virtualiter ipsa media continet, et vim habet movendi ad illa, et ad omnia quæ ad finem se habent. Si ergo movet, et ordinat ad se id quod malum est, virtualiter ille finis est malus, quia causat, et movet ad malum, et est radix illius. Inficitur ergo finis alias bonus, si id quod malum est ei subordinatur, quia redditur virtualiter continens, et causans malum, et quasi radix illius.

XVIII. Denique confirmatur ab inconvenienti, quia si idem actus posset simul esse bonus, et malus moraliter, sequeretur eundem numero actum posse esse meritorium et demeritorium, punibilem et præmiabilem simul, quod est absurdum, cum in beatitudine ubi præmiantur actus, nihil pœnæ, et supplicii inveniri possit etiam accidentaliter. Sequela probatur, quia si ille actus manet cum bonitate moralis saltem partialiter, et inadæquate, pro illa parte qua manet bonus, non est punibilis, et demeritorius, sed laudabilis, et præmiabilis, et potest procedere a subjecto existente in gratia, etiamsi habeat adjunctam vanam gloriam, vel aliam malitiam venialem: ergo poterit præmiari supernaturali præmio saltem accidentali pro ea parte, qua

bonus manet. Antecedens probatur; tum, quia meritum sequitur ad bonitatem actus tamquam propria passio, et demeritum ad malitiam, ut docet D. Thomas in hac quæstione XXI, art. III: ergo si manet, et non destruitur bonitas moralis in illo actu, manet et non destruitur ejus propria passio, quæ est meritum; et si manet bonitas saltem partialiter, et inadæquate, manebit eodem modo meritum partialiter, et inadæquate; cur enim privabitur illa partiali ratione meriti, si non privatur partiali bonitate? Idem quod sufficit ab illo actu tollere et destruere rationem meriti partialis, cur non sufficiet tollere bonitatem partialem, si quidem ratio meriti per aliquid oppositum destructivum tollitur? Ergo per idem tolli, et destrui poterit partialis ratio bonitatis; tum etiam, quia ille actus pro ea parte qua est bonus saltem inadæquate, est gratus Deo, et placet illi, quia non potest odio habere quidquid bonum, et honestum est. Si autem sibi grata est, et placet illa bonitas actus, et a subjecto grato facta (si non sit adjuncta nisi peccato veniali) utique valet aliquid apud Deum, multum enim valet quod gratum est Deo: ergo meretur aliquid apud Deum, si enim nihil mereretur apud ipsum, nihil etiam valeret, et sic gratum ei non esset.

XIX. Quod si dicas, ad meritum non sufficere, quod aliquid sit bonum quomodocumque, et secundum quid, seu partialiter, sed quod sit bonum simpliciter, et adæquate, seu ex nulla parte vitiatum, et inquinatum, quia ut dicitur Apocalypsis XXI: *Nihil inquinatum introibit in ea*, id est, in gloriam: ille autem actus, licet ex una parte sit bonus, ex alia tamen habet aliquid vitii, et sic non intrabit in regnum cœlorum, nec præmiabitur,

XX. Contra est, quia vel illud inquinamentum, quod ex parte habet ille actus, evacuat totam rationem meriti, etiam quæ potest correspondere bonitati illi partiali, vel non evacuat illam partialem rationem meriti, sed relinquit. Si relinquit, habemus intentum, quia jam ille actus pro ea parte, qua est bonus habebit rationem meriti saltem partialiter, et sic habebit etiam suum præmium in gloria, et pro alia parte punietur. Si autem evacuat totam rationem meriti, etiam quæ illi partiali bonitati poterat correspondere; ergo etiam evacuat rationem bonitatis partialis, quia quod est sufficiens destruere propriam passionem, cur non sufficiet destruere ipsam naturam? Sicut qui destruit calorem ut octo destruit ignem, et qui destruit risibile destruit rationale. Meritum autem est propria passio actus boni ut bonus est. Quod vero dicitur: *Nihil inquinatum intrabit in regnum cœlorum*, verum est, in quantum inquinatum, sed si ille actus remanet ex parte bonus, pro illa parte inquinatus non est, et sic pro illa parte debet præmiari in regno cœlorum. Vel si illa inquinatio est talis, quod excludit ab illo actu omne meritum, et quod non possit intrare in regnum cœlorum, cur non etiam excludet bonitatem ipsam moralem, quæ in actu est radix, et principium ratione cujus convenit quod sit meritorius?

FUNDAMENTA OPPOSITA CONVELLUNTUR.

XXI. Ad primum fundamentum oppositæ sententiæ ex locis D. Thomæ respondetur. Ad primum locum ex quæstione XVIII, art. IV respondetur, quod quando dicit: « Quod actionis habenti unam prædictarum bonitatum contingit deesse aliam, »

ly habenti non importat sensum compositum, quasi velit dicere, quod simul retineat, seu habeat bonitatem unam, et defectum alterius, sed facit sensum divisum, quod habenti unam bonitatem quantum est ex se, contingit deesse aliam, sed taliter, quod iste defectus non compatiatur illam bonitatem, sed destruat, licet ex se illam deberet habere, si ille defectus non obstaret: sicut si dicamus, quod habenti sanitatem contingit distemperari humores, sed hoc ipso quo distemperantur, destruitur sanitas. Unde illud verbum habenti, non cogit, quod intelligatur in sensu composito, ita quod simul una bonitas habeatur, et alia desit, cum moralis bonitas ex integritate consurgat, unde fracta integritate, non consurgit; ergo non manet bonitas moralis, sed solum principium aliquod ex quo consurgeret, si non adjungeretur defectus, quod est virtualiter tantum manere; cum præsertim D. Thomas aliis locis a nobis citatis doceat circumstantiam malam transire in rationem objecti, atque adeo ipsam bonitatem objectivam destruere.

XXII. Ad secundum locum ex articulo septimo jam supra disputatione præcedenti, art. IV ponderavimus, quo sensu ibi D. Thomas loquatur. Nunc breviter dicimus D. Thomam in illo articulo duo docere. Primum, quod aliquando potest unus actus habere finem extraneum, seu disparatum; secundum, quod aliquando actus est in duplici specie, altera ex objecto, altera ex fine. Pro hoc secundo non affert D. Thomas exemplum de furante propter eleemosynam, sed pro primo, scilicet ut ostendat, quomodo actus possit habere finem extraneum, seu disparatum. Nam revera eleemosyna finis extraneus est respectu furti, sed tamen bonitas illius finis destruitur a malitia furti, quia talis

finis fit principium, et causa illius mali medii; sicut e contra etiam ex malo fine objectum destruitur, quia transit in conditionem objecti. Dicitur autem finis esse extraneus alicui actui, quando ab illo per se actus talis non dependet, seu potest sine illo fieri, sive in sua bonitate, sive sine illa. Sed tamen talis finis aliquando destruit objectum in ratione morali, et e converso, quando unum est malum, et aliud bonum, quia tunc non manet integritas omnium requisitorum ad bonum morale: et hoc est destrui bonitatem, quia illa in integritate consistit. Si vero utrumque tam finis, quam objectum sit bonum, vel utrumque malum, licet unum sit alteri extraneum, seu disparatum, quia potest unum poni sine altero, tunc actus ponetur in duplici specie, sed altera essentiali, scilicet quæ est ex objecto, altera accidentali, quæ est ex fine, seu circumstantia (ut supra citato loco tractavimus) ut qui furatur propter mœchiam, qui jejumat, ut possit restituere, vel propter pœnitentiam.

XXIII. Ad tertium locum respondetur, quod illa differentia D. Thomæ inter actum, qui est ex specie sua malus, et qui est ex specie sua bonus, quod ille non potest bene fieri, hic autem potest male fieri, quia non requiritur quod malum sit integrum, sicut cum eleemosyna fit propter vanam gloriam, sufficienter explicatur per hoc, quod iste actus bonus potest male fieri, sed destruendo bonitatem, et non in sensu composito retinendo illam. At vero actus, qui ex specie sua malus est, non potest fieri bonus ex quocumquo fine, vel circumstantia bona illi adhibita etiam in sensu diviso, et destruendo malitiam, quia quod bonum est, corrumpi potest ex aliquo defectu, cum bonum sit ex integra causa. Quod autem semel est cor-

ruptum corruptione tangente principia essentialia, et specificativa, ita quod objectum ex se malum sit, non potest ab extrinseco reddi bonum, sed solum si natura illa, et objectum corrumpatur, quod fieri non potest, cum objectum ex sua natura sit prohibitum, et malum, quia ex sua natura opponitur regulis rationis. Unde cum bonum resultet ex integra causa, et hoc objectum non possit unquam reddi bonum ob intrinsecum malitiam, non poterit ex illo bonum fieri.

XXIV. Ad fundamenta ex ratione respondetur. Ad primum negatur antecedens. Ad probationem dicitur aliquos existimare, quod in illo casu, quo quis propter eleemosynam furatur, aut reddit debitum uxori in loco sacro, ipsum actum, qui alias esset bonus, affici duplici malitia, scilicet furti vitiantis, eleemosynæ vitiatæ, irreverentiæ sacrilegii, et indebiti usus uxoris. Tunc enim non manet vera eleemosyna, sed instrumentum, vel adjutorium furti. Sed tamen verisimilius videtur, non duplicari ibi malitias, nec aliam dari distinctam a furto, sed eandem malitiam furti magis extendi ad vitandum ea, quæ sibi conjunguntur, et alias bona essent, si non vitarentur a furto. Et sic pertinent reductive ad speciem, et peccatum furti, quasi aliquid materialiter sibi adjunctum, sibi que deserviens. Nec enim illa largitio eleemosynæ aliam malitiam habet, quam ipsius furti, seu conducere ad furtum, illique adjungi, et non est contra aliud præceptum, et regulam rationis, quam quæ versatur circa furtum; ergo neque aliam habet malitiam. Dicitur autem illa largitio eleemosynæ esse contra præceptum furti, non directe, et formaliter, sed reductive, et ex consequenti, quia hoc ipso quod prohibetur furtum, prohibetur ex consequenti, ne propter

aliud bonum faciamus furtum, aut ut aliquid adjuvans, et conducens ad furtum a nobis fiat, quia qui prohibet principale, prohibet et accessorium.

XXV. Cum autem instatur, quod furtum diminuitur ex bono fine adjuncto, sicut et mala intentio finis diminuitur ex bonitate medii aut alterius circumstantiæ, respondetur diminui malitiam illam non ex parte operis, et quasi intrinsece, et per conjunctionem positivam bonitatis, sed ex parte operantis, et extrinsece, aut quasi negative, quia scilicet operans ex bono fine, aut cum bona circumstantia non habet ita depravatam voluntatem, sicut qui ex mala intentione, et mala circumstantia operatur. Unde manet illud opus minoris malitiæ saltem negative, quia non afficitur illis malitiis, quæ sibi possent adjungi, in se tamen, et quantum ad speciem intrinsecam furti non diminuitur, nec habet positivam bonitatem moralem sibi adjunctam.

XXVI. Quod si urgeas, quia si ille finis alias bonus manet vitiatum, vel illud objectum ex circumstantia adjuncta malum sit, sive id ab extrinseco habeat, sive non, tamen semel vitiatum non poterit jam diminuere malitiam operis etiam ex parte operantis, quia quod in se jam non est bonum, sed vitiatum, et caret rectitudine morali, quomodo potest diminuere, malitiam in operante, vel in opere, sed ad summum relinquet opus in ea malitia, quam ex se habet, nec addens, nec minuens.

XXVII. Respondetur quod illa intentio, vel opus bonum cum vitiatum ex circumstantia mala adjuncta, dicitur diminuere malitiam non ratione bonitatis formalis, quam retineat, et conjungat cum malitia, sed ratione virtualis bonitatis, quam de se exigit, et ad quam inclinat ex vi

objecti secundum se considerati, licet ab extrinseco impediatur, et vitietur: sicut in corporibus mixtis dicitur unum corpus esse minus grave altero, et diminui in eo gravitatem, quia prædominatur elementum minus grave, non quia ibi maneat tale elementum formaliter, et actualiter, vel levitas aliqua formalis, sed quia manet virtualis levitas aut virtualiter elementum minus grave, id est, virtus aliqua ipsius elementi, ex qua causatur minoratio illa gravitatis. Sic in præsentis bonitas eleemosynæ, verbi gratia conjuncta furto, vitiatum a furto, et tamen diminuit furti malitiam, non quia maneat formaliter aliquid bonitatis moralis, sed quia voluntas illa, vel intentio manet virtualiter bona in quantum attingit objectum de se exigens, aut inclinans ad bonitatem, licet ex impedimento extrinseco illam non habeat, nec maneat regulatum illud objectum regulis rationis, quia hæc regulatio consurgit ex integra causa, id est, ex concursu omnium requisitorum ad moralem bonitatem, quorum aliquod hic deficit; et ideo actu non habeat illam bonitatem, seu regulationem, sed solum in potentia, et in virtute quantum est ex parte alicujus requisiti, et hoc sufficit ad minuendam malitiam saltem extrinsece, et negative, quia non ex omni parte est malum.

XXVIII. Ad confirmationem respondetur quod in rebus naturalibus, aut artefactis, quæ componuntur ex diversis partibus actualibus, aut quantitativis, non repugnat in una esse defectum, et non in altera; licet totum ex illis resultans non sit perfectum, sed partem defectuosam retineat, tamen defectus unius partis non semper vitiat alium, quia istarum partium perfectio, aut vitium non consistit in respectu, aut tendentia, et subordinatione earum